



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore  
Animato Lib. VII.**

**Dandini, Girolamo**

**Parisiis, 1611**

IV. Neque item pilos, vngues, dentes, cornua

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

NEQUE ITEM PILOS, VNGUES, DENTES, CORNUA.

## CAPVT IIII.

Prima opinio.

**D**E pilis tam magnificè senserunt aliqui, vt animatos eos esse corporisque partes dicere non dubitarent. Eam potissimum ob causam, quòd nò minus, quàm ceteræ partes, in corporibus nostris augeantur. Idemque de vnguibus, dentibus, & cornibus pronuntiarunt. Augerent enim hæc omnia non longitudine modò, sed latitudine & altitudine; & procedente ætate maiora, & crassiora euadunt. Non in immensum tamen; sed vt reliquæ partes, ad definitam magnitudinem. Sanè de vnguibus visus est ita sentire Galenus in primo de vltupart. lib. cap. 7. & 11. cum eos inter partes digitum componentes ob proprium & necessarium vsum commemorauit; & in 2. de Anatom. administrationibus cap. vltim. eos in quibus vitam & sensum, vt ceteras partes habere.

Ego verò quomodo hæc inter partes numerari possint non video. Nascentur enim sine pilis animalia multa, eosque vbi adepta fuerint, deponunt interdum, aut abscedunt per seipsum, sine villo doloris sensu: nec imperfecta aut læta animalia censentur propterea. Alia contra magis abundant illis, quàm alia; neque idcirco perfectiora iudicantur. Deque vnguibus, dentibus, & cornibus idem licet affirmare.

De pilorum &amp; vnguium accretione.

Nam quòd ex eorum accretione petitur argumentum, contrà, quàm aduersarij putent, profus conficiet. Non enim augetur naturaliter vt partes ceteræ, quæ ex vtili & optimo alimento attracto atque intus adacto, tum nutriuntur abundè, tum in maiorem quantitatem excresecunt. Sed ex inutili planè, & reiectanea materia ad radices apposita extenduntur in longum. Aut si crassiores interdum fiant, id tum ex maiori pororum & meatuum, quibus foras erumpunt, amplitudine: tum ex copiosiori, sicciori, adustiori, & crassiori accedente materia euenit. Certè vbi tota virtus augendi adeò debilitata est & fracta, vt nullè amplius partes augeantur; & in extrema quoque senectute decrepitæque ætate, cum vniuersum corpus decrescit singulaque partes minuuntur; nihilominus crescunt pili; & vngues feliciter multò, quàm antea. In ægrotis quoque, ethicis, tabidis, dum partes omnes extenuantur, nequaquam extenuantur illi, sed magis, quàm in sanis, augetur. Quoniam vt in 2. de animalium ortu lib. cap. 4. Aristoteles explicauit, inutilis & superflua materia sit plurima, cum minus propter senium aut morbum in partes præcipuas consumatur. Deniq; in mortuis, in quibus nulla est vita, nulla anima, quæ singulare est augetur principium & causa, visuntur adhuc augeri; vt idem ille Philosophus scriptum reliquit in 3. de historia cap. 11. Nam vt antea à colore animæ, ita tunc ab eo, qui est ambientis, dum corpus putrescit, excrementitia materia præparata foras pellitur.

Galeni autè (si modò id sensit, quod prima facie sensisse videtur) propriis ipsius armis licet cõfundere. Nam de vnguibus differens in 1. lib. de vltupartium cap. 11. duo affirmavit. Alterum, eos non

augeri, vt alias partes, in longum, latum, & profundum: sed pilorum modo, in longum solum, subnascentibus semper vnguibus nouis antiquisque propellentibus. Alterum, propterea insituisse naturam, vt hæc corporis pars per omnem vitam augetur, etsi reliquum corpus augeri defuisset: quòd eius extremitates scalpendo vel aliud quid agendo exteri nobis debeant. Quorum alterum omninò ostendit nec vngues nec pilos vera & propria accretione augeri. Tum quòd nò ad omnem dimensionem, tum quòd non intrus suscepto alimèto, sed externa additione materiæ augeatur. Alterum autem si verum sit, ex eo ipso concluditur, nec vngues, nec dentes, nec cornua, animatas partes esse. Quippe nulla animata pars vlti consumitur. Neque alia est causa, cur pedum cutis infima nunquam exteratur & cõsumatur iis, qui nudis pedibus incedunt: calceorum autem soleæ non multo durènt tempore. Nisi quòd illa est animata, vitamque cum habeat, fouetur semper & conseruatur, & si quid detrimenti patiat, statim refarcitur: hæc vero anima omni & vita destituta nequeunt renouari. Si vngues igitur, dentes, & cornua exterantur vlti, animata partes non sunt.

Pedum cutis cur nunquam consumatur.

Propria quadam est in dentibus difficultas: Propterea quòd magnoperè interdum dolent, dolorisque sensum nihil habere potest, quòd animatum non sit. At is dolor (etsi secus Galenus senserit in lib. de ossibus cap. 5. & lib. 16. de vltupartium cap. 2. & 3. & lib. 4. de Anatom. admin. cap. 3. aliisque post eum) non est dentium, sed neruorum, qui in gingiuis dispersi sunt, dum in eos è superioribus partibus defluit pituita. Propterea euulso dente mitigatur dolor, quòd defluens & inimicus humor euaporet apertio aditu, quo exhalare & consumi possit.

Dentium dolor.

NEQUE MEDULLAM, aut adipem.

## CAPVT V.

**D**E medulla.

E medulla porro exstat aperta Philosophi sententiã in 2. de partibus lib. cap. 6. cum eam definiuit esse alimenti sanguinei, quòd in ossa distribuatur, coactum excrementum. Siuè enim alimentum ossium appelles, siuè excrementum, & residuum illius sanguinis, quo corpus vescitur vniuersum, nec anima communique vita frui potest, nec pars corporis nominari. Atque ex iis, quæ iam dicta sunt, vtrumque manifestum est: & Aristoteles naturam sanguinis eam habere tradidit.

De medulla.

Sed alterum illud medullæ genus, quòd spina dorsæ continetur, naturam habere ab hac profus diuersam: ipsemet eodem in loco subiunxit. Atque accuratè magis huc locum posteriores medici pertractant. Etenim secus omnino de ea, quàm de illa, quæ in plerisque aliis ossibus inest, iudicari debet. Nam priorem illam impropiè, & vt in 2. lib. colligit cap. 3. & 8. inquit Auerroes, homonimè medullam appellamus: non quòd medullæ substantiam habeat, sed quòd ossibus, quemadmodum medulla, continetur. Sic enim cerebrum quoque ipsi à quibusdam appellatum fuisse medullam apud Aristotelem legimus in cap. 7. eiusdem lib. & Galenum in 3. de alimentorum facultate.

De spina medulla.

Medulla quid.